Comisario Carolino Rincon

OPVS QVOD IVDICIALE INQVISITORVM DICITVR

EX DIVERSIS THEOLOGIS ET I. V. D.

PER FRATREM VMBERTVM LOCATVM PLACEN. EX ORD. PRAED. SACRAE THEOL. PROFESSOREM

EPISCOPVM BALNEOREGIEN.

ac ſanctiſſimæ Inquiſitionis Commiſſarium generalem, nuper extractum, ac pluſculumquam prius fuerat excuſum, nunc auctum & correctum.

ADDITA SVNT CVM NONNVLLIS *quæſtiunculis, & quibuſdam tam in Vrbe quàm alibi deciſis caſibus, quædam ſancti officij decreta, ac in fine operis eorum quæ in ipſo ſancto officio agenda ſunt, Formulæ per ordinem poſitæ.*

CVM SINGVLORVM INDICIBVS.

ROMAE
Apud Hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales.
Anno. M. D. LXX.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO [illegible]

AD BEATISSIMVM PIVM QVINTVM PONTIFICEM MAXIMVM.

FRATER VMBERTVS LOCATVS Theologorum minimus, ac uniuerſalis hæreticæ prauitatis Inquiſitionis Commiſſarius Generalis.

OPVSCVLVM hoc, beatiſs. Pater, quod pro hæreticæ prauitatis Inquiſitorum cataphygio ex diuerſis theologiæ, ac iuris vtriuſque profeſſoribus excerpſi, in publicum prodire cupiens; cum ſudore adhuc madeat, vtpote quod ex accuratis laboribus recens emerſit; ne detractorum turbinibus afflictum, pleuritidem incurrat; tuum, ſanum adhuc, magis videtur auere præſidium, quam pituitam poſtmodum paſſum, medicorum cogatur implorare ſuffragia. Nam quum tu alias omnibus huius negotij iudicibus diu, et egregie præfueris; nuncque totius reipublicæ Chriſtianæ Monarcham agas perfectiſſime; tua intereſſe putat; pro catholicæ & apoſtolicæ fidei cauſis ad te recurrentes & feſtiue excipere, & fouere leniter. Et quia quicquid erga fidei reos iudex ſit facturus, liber complectitur; tu iudicum iudex & hilari vultu ſuſcipere, & benigniori eum proſequi fauore dignator. Verum ſi quid correctione dignum in illo offenderis; tua, cui & ſcripta a me, & ſcribenda omnia ſubijcio, cenſura & caſtigatione te vti, ac humilitatis meæ memorem diu viuere exopto.

OPVS QVOD IVDICIALE INQVISITORVM DICITVR.

PER FRATREM VMBERTVM LOCATVM Placentinum Epiſcopum Balneorigienſem ex Ord. Præd. Sacræ Theologiæ profeſſorem, ac Illuſtriſſ. Cardinalium generalium Inquiſitorum Cõmiſſarium, Ex diuerſis eiuſdem Sacræ Theologiæ I. V. D. extractum & collectum.

A

ABIVRARE, ET ABIVRATIO.

1 ABIVRARE, licet ſecundum Ci. li. primo ad Atticum ſimpliciter negare ſignificet, Mihi autem (inquit Cic.) abiurare certius eſt, q̃ dependere, & ſecundum Virgilium in 8. Aeneid. contra ius tenere, ipſo poeta dicente, Abſtractæq; boues, abiuratæq; rapinę, ſecundum Doctores tamẽ, & prout noſtræ deſeruit intentioni, abiurare proprie eſt rem aliquam cũ iuramento negare, & deteſtari. Quicunq; ergo id qđ prius affirmauit cũ iuramento, & maxime in iudicio, reuocauerit, & cum iuramento negauerit, abiuraſſe dicitur. Qui namq; propria confeſſione, vel facti euidentia, vel teſtium legitima atteſtatione de hæreſi fuerit cõuictus, vel de ea ſuſpectus, ſecundum qualitatem ſuſpicionis, hæreſim debet abiurare, vt in. c. accuſatus de hære. li. 6. & c. ad abolendam. de hære. & ſi relabatur, pœna relapſis debita punietur, iuxta. di. c. accuſatus, niſi primo abiurauerit tamq̃ leuiter ſuſpectus, quia ſecundo licet grauius puniri debeat q̃ primo, non tamen pœna relapſorum, quam abiurationem ſi reus negat facere, non videtur vere redire, ideo tamq̃ hæreticus eſt damnandus, iuxta c. ad abolendam & c. excõmunicamus, de hære. *Abiurare negãs, quid.* Et nota ꝙ qui abiurauit tamq̃ leuiter ſuſpectus, ſi poſtea iterũ cadat in leuem ſuſpicionem, grauius (vt iam dictum eſt) debet puniri, q̃ ſi nunq̃ abiuraſſet, c. accuſatus. de hære. li. 6. debet enim abiurare tãq̃